

turalia homini, neque illi subtrahuntur, neque dantur per peccatum; atqui homini secundum vitam animalem, quam etiam ante peccatum habebat, naturale est generare per coitum: ergo. Min. constat; tunc quia ad hunc usum deputata sunt in homine naturalia membra, quorum usus fuisset ante peccatum, non secus ac ceterorum membrorum.

Confirm. (*Ibid.*) In omni generatione requiritur virtus activa & passiva; atqui in omnibus, in quibus est distinctio sexuum, virtus activa est in mare, virtus passiva in femina: ergo naturæ ordo exigit, ut ad generandum conveniant per coitum mas & femina.

Quantum verò ad fecunditatem generationis per coitum in presenti statu, (*Ibid.*) qua moti sunt quidam Patres ut eam non admitterent in statu innocentie, observandum duo esse consideranda in coitu secundum presentem statum; unum quod naturæ est, scilicet conjunctio maris & femina; alterum, quodam difformitas immoderate concupiscentiæ & inordinationis membrorum genitalium, cui ratio dominari non potest. Primum fuisset in statu innocentie, non secundum; siquidem in eo vires inferiores omnino subdebantur rationi, & eo voluntatis motu movebantur membra genitalia, quæ cetera sine ardore & illecebrosos stimulo, cum tranquillitate animæ & corporis.

Neque tamèn inde inferas (*Ibid.* ad 3.) non fuisse delectationem secundum sensum in actu conjugali; imò tantò major fuisset, quantò purior esset natura & corpus magis sensibile, sed vis concupiscentiæ regulata per rationem delectationi non inhærebat immoderate; sicut sobrius in cibo moderatè sumpto non minorem habet delectationem quam gulosus, sed animus ejus concupiscentiæ super hujusmodi delectatione requiescit, nec ultra regulam rationis se extendit.

Dices: In generatione per coitum fit reseratio claustrum virginialis, quæ non est sine corruptione; & in partu viscerum muliebrium, quæ non est sine dolore; atqui in statu innocentie neque fuisset corruptio, neque dolor: ergo. R. S. Thom. hic ad 4. admittit in statu innocentie reserationem viscerum muliebrium in partu: sed motus auctoritate Aug. videtur negare reserationem claustrum virginialis in coitu, his verbis: *Dicendum, inquit, quòd, sicut Aug. dicit 14. de Civit. c. 26. in illo statu nulla corruptione integritatis infunderetur gremio maritus uxoris, ita enim potuit utero virginis, salva integritate seminis genitalis, virile semen immitti, sicut nunc potest, eadem integritate salva, ex utero virginis fluxus menstrui cruoris emitti.* Attamen in 2. d. 20. q. 1. art. 2. ad 1. hanc claustrum virginalis reserationem per coitum in primo statu agnoscit, dicens: *In omni concubitu solvitur virginitas, quantum ad integritatem carnis etiam in primo statu.*

Ad horum conciliationem dicendum est, S. Thom. hic loqui de reseratione violenta claustrum virginalis, ut fit in presenti statu, quæ non est sine aliqua corruptione. In 2. verò cit. loquitur de reseratione spontanea sine violentia & corruptione: unde integritas carnis, prout opponitur fractioni violentæ claustrum virginalis, mansisset in statu innocentie; integritas verò, prout opponitur simplici & spontaneæ apertioni absque violentia, non mansisset. Hanc autem explicationem esse admittendam, constat. 1. Quia concipi non potest, quomodo semen virile immitti possit in uterum feminae sine aliqua relaxatione claustrum virginalis. 2. Quia S. Doctor hic admittit relaxationem viscerum muliebrium in partu sine dolore, quidni in coitu, cum in isto sit longè minor reseratio quam in partu, & hoc ultimo supposito non possit manere integritas carnis, prout opponitur spontaneæ relaxationi.

Neque obstat, quod dicit hic S. Thom. quòd semen virile potuit immitti in uterum mulieris, sicut nunc ex utero virginis fluxus menstrui cruoris emittitur: non enim in hoc tenet paritas, quòd, sicut ille sanguis exit sine reseratione claustrum virginalis,

ita sine hac reseratione semen virile in uterum mulieris immittitur; constat enim secundum medicos, quòd ille cruor non exeat per claustrum virginale, sed per venas ad hoc deputatas, quarum orificia terminantur in superficie vasculi femine; sed in hoc tenet paritas, quòd, sicut istarum venarum orificia, licet sint ordinariè complicata & clausa, statim tantè temporibus spontè & sine violentia aperiantur, ut sanguis menstruus exeat, ita ad congressum voluntarium maris & feminae claustrum virginale sine violentia aperiretur & dilataretur, ut semen virile in matricem mulieris immitteretur.

In summa igitur pro solutione argumenti dicendum, quòd in statu innocentie coitus fuisset absque corruptione, & partus sine dolore; quia ad congressum voluntarium claustrum mulieris spontè & absque violentia reseratum fuisset: similiter in partu tempore a natura statuto viscera muliebria spontè & sine violentia aperta fuissent; sicut nunc aperitur os, aut manus.

Hinc inferes, quòd mulieres in statu innocentie non mansissent simpliciter virgines; quia, licet mansisset integritas carnis, hoc sensu quòd non fuerit vi corrupta, & non fuisset immoderate delectatio venerea, nihilominus voluntariè solum fuisset signaculum virginale, & adhibita fuisset voluntariè delectatio venerea etsi moderata; est enim inseparabilis a coitu. Virginitas autem simpliciter consistit in conservatione voluntaria signaculi virginalis, & in immunitate ab omni voluntaria delectatione venerea, ut docet Auctor 2. 2. q. 152. art. 21.

Inst. Continentia est laudabilior matrimonio, ut probat Auctor loco, proxime cit. art. 4.; atqui non debemus denegare statui innocentie, quòd est laudabilior: ergo. R. D. Maj. (*Ibid.*) Continentia pro presenti statu est laudabilior matrimonio, C. Pro statu innocentie, N. Ideò enim continentia est laudabilior pro hoc statu, quam matrimonium, quia importat absentiam ab immoderata libidine, & immunitatem a variis sollicitudinibus & miseris hujus sæculi, quibus impeditur homo a contemplatione divinorum. At in statu innocentie fuisset fecunditas sine immoderata libidine, sine sollicitudinibus & miseris distrahentibus hominem a divina contemplatione: nihil quippa immoderatum fuisset in actu conjugii, nulla in conjugio molestia sive circa conjugem, sive circa liberos, sive res domesticas; sed fuisset inter conjuges amor castissimus, fides intemerata, denique bonum perpetuum fecunditatis, ex quo tot sancti laudarent & glorificarent Deum, quo bono carissimæ Virgines absque compensatione alterius boni; sicque conjugium fuisset excellentius virginitate.

Undè sequitur, quòd in hoc statu nullus mansisset virgo, sed omnes matrimonio usi fuissent; non enim in hoc statu servassent, quòd est minus laudabile & minus bonum. Sequitur ulterius, (*Q. 99. art. 2. ad 3.*) quòd, cum nullus mansisset virgo, & matrimonium sit unus cum una, tot debuissent nati mulieres, quot viri; de quo iterum infra. Sequitur denique, quòd, cum non usi fuissent matrimonio nisi ad finem, ob quem erat institutum, scilicet ad generationem prolis, non esset in hoc statu ulla sterilitas, quæ est defectus, sed ex quolibet congressu nata fuisset proles.

Dices: Si laudabilior fuisset uti matrimonio, quam servare virginitatem, quare ergo primi Parentes eo non suat usi in Paradiso terrestri. R. (*Ibid.* ad 2.) Ideò primos Parentes non fuisse usos matrimonio in Paradiso terrestri, vel quia, formata muliere, post modicum tempus propter peccatum de Paradiso ejecti sunt; vel quia ad determinatum tempus commixtionis expectabant divinam auctoritatem, a qua acceperant universale mandatum; congruum enim erat, inquit Aug. 1. q. de Genes. ad litt. cap. 3. ut ad hac rem expectaretur divina auctoritas, ad quam nulla concupiscentia, tanquam stimulus inobediens carnis urgebat.

DISSERTATIO VI.

DE CONDITIONE PROLIS GENERANDÆ IN STATU INNOCENTIÆ.

ARTICULUS I.

De conditione prolis generandæ in statu innocentie quantum ad corpus.

§. I. *Utrum, si perseverasset status innocentie, iidem numero homines in conati fuissent, qui in statu nature lapsa nati sunt, nascuntur, & nascentur.*

Quot homines in statu innocentie, si perseverasset, nati fuissent, & an tot quot nascuntur in statu nature lapsæ, prorsus incertum est, cum nihil de hoc habeamus ex Scriptura, aut Traditione; & aliunde sit nobis agnorum, quanto tempore homines tunc fuissent in via & vacasset generationi. Parièr incertum est, an tunc nati fuissent quidam reprobi, & damnandi.

Quæstio est igitur, utrum iidem numero homines, qui nascuntur in statu nature lapsæ, nati fuissent in statu innocentie, tam quoad corpus, quam quoad animam, abstrahendo ab æqualitate numeri.

Dico 1. (*Quod. 5. art. 8. o.*) Adam non peccante, non fuissent nati iidem homines quantum ad corpus, qui nunc nascuntur. (*Ibid.*) Impossibile est, eamdem numerum prolem quoad corpus nasci, si alius sit pater aut alia mater; atqui in primo statu fuissent alii Parentes, quam nunc; ergo distincte numero proles quoad corpus. Major constat; quia in generatione hominis, sicut & aliorum animalium, semen patris est agens, materia verò a matre ministrata patiens: impossibile est autem eundem numero effectum produci a diversis causis sive activis, sive passivis, sicut non est idem numero sigillum, sive sit altera cera, sive aliud corpus sigilli, ex cuius impressione cera sigillatur. Prob. Min. In primo statu unus homo non habuisset plures uxores, & nullus ex fornicatione vel adulterio nasceretur; atqui hæc contingunt in presenti statu: consequenter, qui in presenti statu nascuntur ex uno patre & pluribus uxoribus, sive legitime concubitu, ut diu vigeat polygamia, sive illegitime, ut in fornicatione & adulterio, non fuissent nati iidem numero in statu innocentie. Confirm. Omnes, qui in hoc statu nature lapsæ moriuntur inupti, sive puer, sive adulti, in statu innocentie nupsiissent & filios procreassent, qui consequenter essent alii numero ab his, qui nunc nascuntur in statu nature lapsæ. Item post peccatum plures feminae sunt steriles, quæ in statu innocentie fuissent fecundæ; ergo generassent homines, qui nunc non generantur.

Prob. 2. Ad individuationem prolis non sufficit identitas Parentum, siquidem ex eodem patre & eadem matre nascuntur distincta individua; sed requiritur insuper identitas variarum circumstantiarum, puta loci, temporis, influentiarum coelestium, actionis elementorum, qualitas seminis in mare, & materia in foemina; atqui hæc omnes circumstantie non sunt merè eadem, quæ fuissent in statu innocentie, ut constat, & specialiter de semine in mare & sanguine in foemina; semen enim in mare & sanguis in foemina sapiunt & retinent qualitates ciborum, quibus formantur: in statu autem innocentie fuissent cibi distinctissimi, ut dicam infra, moderatius sumpti & longè salubriores, tum ratione sui, tum ratione locorum & temporum, quam in presenti statu: ergo.

Dico 2. Non est omnino impossibile: homines in statu innocentie fuisse futuros eisdem numero quoad animam, quam nunc. Prob. Anima rationalis, sicut non dependet in esse a corpore, ita nec ex se limitatur ad informandum potius hoc corpus, quam aliud. Equidem verum est, quòd, quando unitur uni corpori, ab eo limitetur, ne ultra alteri communicetur, quo sensu diximus superius animam individuari a corpore; sed antequam uniat, non est ex se determinata ad informandum potius hoc corpus, quam aliud, sed id habet a solo Deo, a quo hæc numero anima immediatè creatur: ergo hanc numero animam, quæ huic nunc corpori infunditur, potuisset Deus in statu innocentie alteri corpori infundere, & in hoc corpore aliam animam creare; id enim totum dependet a libera ejus voluntate.

Confirm. Individuatio animæ quoad persentiam existentie non dependet a circumstantiis loci, temporis, influxuum coelestium, identitate, temperamento, & dispositione parentum, si-

cut diximus de individuatione corporis, sed a solo Deo, qui absque intervenitu alterius cujusvis causæ eam creat: ergo nihil obstat, quominus eisdem numero animæ, quæ nunc informant corpora, informassent in statu innocentie. Ita verò fieri conveniens esse suadetur: Adam a Deo acceperat justitiam originalem ea conditione, ut, si non peccaret, eam transmitteret in posteris; & si peccaret, eam sibi & posteris amitteret: ergo videtur rationi congruum, ut in utroque statu nature, innocentis & lapsæ, homines haberent eisdem numero animas, ut iidem secundum partem sui nobiliorem sentirent vel bonum justitie originalis, vel damnum peccati.

At fortè dices, Deum in hac dispositione respexisse naturam specificam, non personas distinctas. Contra est 1. quòd major providentiæ perfectio reluceret, si personas distinctas, & non solam naturam respexisset. 2. Prescientia Dei est clara & distincta, non confusa: ergo, quòd dedit justitiam originalem Adæ ea conditione, ut, si non peccaret, eam sibi & posteris servaret; si verò peccaret, eam sibi & posteris amitteret; verissimile est eum clarè & distinctè concepisse posteros Adæ in individuo, ita ut eisdem personæ, quæ privantur nunc bono justitie originalis, illud experte fuissent secundum præstantiorum sui partem, scilicet animam rationalem, si Adam non peccasset.

Si dicas, inde probari etiam fuisse eisdem numero personas quoad corpus, quia plura justitie originalis commoda illud spectant, sicut ex ejus amissione plura incommoda patiuntur. Contra: est id de potentia Dei absoluta fieri potuisset, quia tamèn individuatio corporis naturalitèr pendet a pluribus circumstantiis materialibus, quæ non fuissent eadem in statu nature innocentis & lapsæ, & e contra individuatione animæ rationalis non dependeat ab his circumstantiis materialibus ratio est, cur dicamus Deum eisdem numero animas fuisse creaturum in primo statu, ac in presenti, & non eadem corpora: Deus enim secundas causas sinit operari juxta proprias vires & conditiones, & idèò juxta diversos concursus causarum secundarum corpora diversas sortiuntur individuationes.

Adde, quòd tam gratia sanctificans, quæ est radix justitie originalis, quam culpa originalis, quæ ex libera voluntate Adæ descendit, primariò & principalitèr ad animam pertinet, secundariò verò materialitèr tantum ad corpora: unde ratio, quæ militat pro identitate numerica animarum in utroque statu, non militat paritèr pro identitate corporum.

Ceterum hæc quoad 2. Conclusionem dicta sint speculando tantum: fateor enim nihil certi hæc de re proferri posse, cum totum pendeat ex libera Dei voluntate, quæ neque in Scripturis, neque in Traditione est nobis revelata.

§. II. *Utrum pueri, in statu innocentie, mox nati virtutem perfectam habuissent ad quemlibet motum membrorum.*

Dixi superius, in statu innocentie non omnes homines futuros fuisse æquales sive quoad corpus, sive quoad animam. Item certum est, non nascituros tunc homines in ea corporis magnitudine, quam habere solent homines in ætate virili, sed in ea corporis mole, in qua nasci solent infantes; quia id est homini naturale, siquæ idèò confisisset in statu innocentie. Aliunde fieri non potuisset absque magno miraculo, quòd corpus quinque vel sex pedum contineretur in utero matris, & ab illa ederetur. Ad quæstionem itaque propositam in titulo §.

Dico: (*Q. 99. art. 1. o.*) In statu innocentie pueri mox nati non habuissent virtutem motivam membrorum sufficientem ad quoslibet motus; bene tamèn sufficientem ad actus convenientes pueritiæ. Prob. 1. pars. (*Ibid.*) Quòd naturale est homini, ipsi confisisset in statu innocentie, ut jam dictum est; atqui naturale est homini, utpotè ex principiis nature humane competens, ut pueri mox nati non habeant sufficientem virtutem ad quoslibet motus membrorum: ergo. Prob. Min. Homo naturalitèr habet cerebrum majus in quantitate secundum proportionem sui corporis, quam cetera animalia; unde naturale est, quòd propter maximam humiditatem cerebri in pueris nervi, qui sunt instrumenta motus, non sint idonei ad movendum membra secundum quoslibet actus: ergo. Confirm. (*Ibid.* in arg. s. c.) Omne generatum prius est imperfectum, quam perfectum; sed pueri in statu innocentie fuissent per generationem produc-

ti : ergo a principio fuissent imperfecti & quantitate & virtute corporis.

Prob. 2. pars. (Ibid. o.) Deus juxta Scripturam fecit hominem rectum; & similiter recti nati fuissent ejus posterii, si non peccasset; atqui ista rectitudo consistebat partim in perfecta subjectione corporis ad animam, unde requirebat, quod neque in membris esset aliquid, quod repugnaret ordinatæ hominis voluntati, neque quod membra deherent ejus voluntati ordinatæ: ergo pueri potuissent movere membra, sicut voluissent. Subsumo; atqui nihil tunc voluissent ordinatæ voluntate, nisi quod erat conveniens suo statui: ergo potuissent movere membra ad motus etati puerili convenientes, puta movere pedes, manus; linguam; quantum illa etas requirit, sive ad sugenda ubera; sive ad alia similia.

Dices contra primam partem Aug. l. de Baptismo parvuli & l. de peccat. meritis c. 37. dicit, infirmitatem carnis infantilis esse quid poenale; atqui in statu innocentie nulla poena fuisset: ergo. R. Aug. (Ibid. ad 1.) non loqui de infirmitate, quæ in statu innocentie fuisset in pueris ad quoslibet actus, sed de infirmitate, quæ nunc est in illis etiam quantum ad actus eorum pueritæ convenientes. Nunc enim pueri mox nati neque pedes ad illum incessum, neque manus ad aliquid faciendum movere possunt, & nisi os papillæ uberis ope nutritic admoveatur, juxta se jacentibus mammis magis possunt esurientes flere, quam sugere, inquit ipse Aug. loco cit. Unde patet, ipsum loqui de infirmitate puerorum hujus status, quæ revera est poena peccati.

Inst. Homo in statu innocentie tantum roboris habuisset in etate senili, quantum in etate virili: ergo & in puerili. R. N. Conseq. Disparitas est; (Ibid. ad 4.) quod homo in statu innocentie fuisset incorruptibilis & immortalis, & ideo debuit carere defectibus, qui ordinantur ad corruptionem & ad mortem, quales sunt ægritudines & defectus seniles; sed habuit initium vite per generationem, & ideo nihil prohibet eum habuisse defectus pueriles, qui sequuntur generationem.

Subsumes; atqui nullus defectus fuisset in statu innocentie: ergo. R. D. Subsumptum. Nullus defectus positivus, seu sumptus pro privatione boni debuit fuisset in statu innocentie; C. Defectus negativus, seu sumptus pro carentia boni tunc non debuit, N. Hoc enim sensu sumptus defectus multiplex fuisset in statu innocentie.

Repones: quædam animalia statim cum nascuntur habent virtutem sufficientem ad multiplicem usum membrorum; atqui homo est nobilior aliis animalibus: ergo. R. N. Conseq. (Ibid. ad 2.) Quia, quod quædam animalia statim nata habent usum membrorum, non est eorum nobilitate, siquidem quædam animalia perfectiora hoc non habent, sed hoc eis contigit ex vicinate cerebri, & quia actus proprii talium animalium sunt imperfecti, quos parva virtus sullicere potest.

§. III. Quibus cibis uti fuissent homines in statu Innocentie?

Dixi supra Dissert. præced. art. 3. §. 3. quod homines indiguissent cibo in statu innocentie; nunc querimus, quod cibo uti fuissent?

Certum videtur, Primos Parentes in statu innocentie non fuisse usos caribus, tum ex illis verbis Evæ ad Serpentem Genes. 2. De omni ligno Paradisi vescimur; quibus significare videtur, quod ex solis fructibus arborum vescerentur; tum quia non est verisimile, quod in tam brevi intervallo temporis, quod fuit inter creationem primorum Parentum & eorum peccatum, cogitaverint de eade animalium & esu carnum; sed questio est, an, si diutius durasset status innocentie, ipsi primi Parentes & eorum posterii uti fuissent caribus animalium?

Dico (Q. 96. art. 1. ad 3.) Probabilis est, quod neque primi Parentes, neque eorum posterii uti fuissent caribus, etiamsi diutissime perseverasset status innocentie. Prob. 1. Deus in statu innocentie abundanter providerat homini de cibis necessariis ad conservationem vite & suavitatem gustus per fructus terræ, ut patet tum ex verbis Evæ ad Serpentem mox laudatis, & ex his Genes. 1. Ecce dedi vobis omnem herbam asserentem semen super terram, & universa ligna, que habent in semetipsis sementem generis sui, ut sint vobis in escam. Item ex his Genes. 8. Omne lignum pulchrum visu et, ad vescendum suavitatis, tum quia, ut probavimus art. 3. supra cit. per lignum vite confortabatur vis nutritiva, ut per senectutem non deficeret, & per fructus aliarum arborum restaurabatur humidum radicale, per calor naturalis actionem deperditum: ergo superfluum fuisset his fructibus relicti confingere ad carnes animalium.

2. Nedium superfluum, sed & ordinatum: 1. Quia esset aliquo modo culpæ divinam providentiam, quasi non providisset de sufficienti cibo, assignando fructus terræ. 2. Esset indulgere gulæ, cum absque necessitate carnes adhiberentur.

3. Occupari in animalibus occidendis, escoriandis, exenterandis; lavandis, assandis, esset mentem distrahere a divinis contemplationibus, quibus homo in statu innocentie erat addendus; 4. Denique hoc ipso quo esset superfluum, erat ordinatum; nihil autem inordinatum erat in statu innocentie.

Unde sequitur, quod supposita rectitudine & dispositione status innocentie, illicitum erat Jure naturæ vesci caribus, siquidem erat inordinatum, attentâ hujus status inordinatione & dispositione.

Dixi: Jure naturæ: Quia id fuisse a Deo positivè prohibitum, nullibi constat. Quamvis enim concesserit expressè herbas & fructus ad vescendum, non sequitur, quod positivè prohibuerit omnem aliam escam; forte enim expressit fructus terræ, ut sapidiores, salubriores, & faciliores obtentu; non tamen positivè prohibitis aliis cibis.

Quod autem dixi de caribus, pari ratione dicendum videtur de ovis, lacticiis, pane, & vino.

At verò; destructo per peccatum statu innocentie, homine gravibus laboribus addito, ejecto de Paradiso, & privato fructibus illius, præsertim ligno vite, nihil vetabat tunc homines vesci caribus, & aliis. Utrum tamen de facto uti fuerint, saltem antè diluvium? Quidam dubitant; quia tantum post diluvium facta est expressa concessio nisi utendi his verbis Genes. 9. Omnes, quod movetur, erit vobis in cibum, quasi olera virentia irradidi vobis omnia. Sed responderi potest, Deum his verbis voluisse tantum indicare carnium usum tunc fore frequentiorē; quia, licet antè diluvium non prohiberetur, non erat tamen communis, sicut fuit post diluvium; vel voluisse solemniter & expressè declarare, quod antea tacitè tantum erat concessum.

§. IV. Utrum in statu innocentie nate fuissent femine

Quamvis art. 4. præcedentis Dissert. §. 2. jam dixerim naturas fuisse feminas in statu innocentie; imò, tot nascituras, quot masculos; juvat tamen cum Auctore hanc questionem iterum breviter examini subijcere. Unde.

Dico: (Hic q. 99. art. 2. o.) In statu innocentie, si perseverasset, nate fuissent femine. Primò, quia natura sic in generando processisset, sicut Deus eam instituit; atqui Deus instituit in natura humana marem & foeminam: ergo. Secundo diversitas sexus pertinet ad perfectionem naturæ humanæ, sicut in aliis animalibus pertinet ad eorum perfectionem; atqui nihil eorum, quæ ad perfectionem & complementum naturæ pertinent, defuisset in statu innocentie: ergo.

Dices: Dicitur communiter ex Philosopho, quod femina sit mas occasionatus, quasi præter naturæ intentionem proveniens; atqui in statu innocentie nihil evenisset immaturale in generatione hominis: ergo. Respondimus jam supra; (Ibid. ad 1.) esto foeminam esse præter intentionem naturæ particularis, non esse tamen præter intentionem naturæ generalis.

Inst. Omne generans generat sibi simile, nisi impediatur, vel propter defectum virtutis activæ, vel propter indispositionem materis; atqui in statu innocentie nullus fuisset defectus virtutis activæ in mare, nec indispositio materis in foemina; ergo omnes nati fuissent masculi. R. generationem foemine (Ibid. ad 2.) non solum contingere ex defectu virtutis activæ, vel ex indispositione materis, sed etiam quandoquæ ex aliquo extrinseco. Sic juxta Philosophum lib. de animalibus, ventus Septentrionalis coadjuvat ad generationem masculorum; Australis ad generationem foeminarum; quandoquæ etiam ex imaginatione, seu conceptione animæ ad quam de facili immutatur corpus: & hoc poterat esse præcipue in statu innocentie, in quo corpus erat magis subiectum animæ, ita quod secundum voluntatem Parentum distingueretur sexus in prole.

ARTICULUS II.

De conditione prolis generande in statu innocentie quantum ad justitiam.

Dico 1. (Hic q. 100. art. 2. o.) In statu innocentie homines nati fuissent in justitia originali, consequenter in gratia sanctificante, que est radix justitiæ originalis.

Prob. (Ibid.) Justitia originalis erat donum, divinitus concessum toti naturæ humanæ: ergo. Prob. Ant. Opposita sunt unius generis; atqui peccatum originale, quod opponitur justitiæ originali, est peccatum naturæ, unde traducitur a Parentibus in posterum: ergo.

Dico 2. (Ibid. art. 2. o.) In statu innocentie homines non fuissent nati confirmati in justitia. Prob. (Ibid.) Pueri in sua nativitate non habuissent plus perfectionis, quam eorum Parentes in statu generationis; atqui Parentes quandiu genuissent, non fuissent confirmati in gratia: ergo. Prob. Min. Creatura rationalis de lege ordinaria, & secluso speciali privilegio, non con-

ARTICULUS III.

De conditione prolis generande in statu Innocentie quantum ad Scientiam.

Dico 1. (Hic q. 101. art. 1. o.) Pueri in statu innocentie non fuissent nati perfecti in scientia; facile tamen processu temporis eam acquisivissent. Prob. prima pars: (Ibid.) de his, quæ sunt supra naturam, soli auctoritati creditur; unde, ubi auctoritas deficit, sequi debemus naturæ conditionem; atqui naturalis est homini non habere scientiam congenitam, sed paulatim per sensus acquirere; nec contrarium habemus revelatum pro posteris Adæ innocentis: ergo. Prob. 2. pars: homines in statu innocentie habuissent plures prærogativas, tam ex parte corporis, quam ex parte animæ, quibus juvarentur ad acquirendas scientias, sive addiscendo a Parentibus, sive inveniendo: ex parte corporis juvaret impassibilitas, perpetua valetudo, firmitas virium, & integritas sensuum tam exteriorum, quam interiorum: ex parte animæ ingenium perspicacissimum, memoria felicissima, iudicium excellentissimum, & propensio ad scientiam: ergo.

Dices 1. (Ibid. ad 1.) Qualis fuit Adam, tales genuisset; atqui Adam fuit in scientia perfectus: ergo. R. D. Maj. Qualis fuit Adam, quantum ad accidentia naturalia, aut gratuita totius naturæ, tales genuisset, C. Qualis fuit Adam, quantum ad accidentia individualia, seu personalia, tales, &c. N. Scientia autem fuit accidens individuale primi Parentis, quatenus erat institutus Pater, & instructor totius generis humani.

Dices 2. Ignorantia est ex peccato; atqui ignorantia est privatio scientiæ: ergo ante peccatum nulla fuit privatio scientiæ. R. D. Min. (Ibid. ad 2.) Ignorantia est privatio scientiæ pro tunc debite inesse, C. Pro tunc non debite inesse, N. Est enim sic simplex nescientia, non ignorantia. Porro pueri in statu innocentie habuissent scientiam, quæ eis competeat secundum illud tempus, puta, aliquam Dei notitiam, & principiorum universalium Juris naturæ, per quam possent discernere inter bonum & malum, inter noxium, & innoxium. Unde ignorantia in eis non fuisset, sed fuisset simplex nescientia aliquorum, quorum cognitio non debeatur illis in statu puerili.

Dico 2. (Ibid. art. 2. o.) Pueri mox nati in statu innocentie non habuissent perfectum usum rationis; quia perfectus usus rationis pendet ex usu perfecto vitium sensitivarum; unde, ligato sensu, & impeditis viribus sensitivis, homo perfectum usum rationis non habet, ut patet in dormientibus, & phræneticis: atqui in statu innocentie in infantibus, sicut nunc, impeditus fuisset perfectus usus virium sensitivarum per nimiam humiditatem cerebri: ergo. Habuissent tamen perfectiorem usum rationis, quam nunc, quantum ad ea, quæ ad eos pertinebant secundum statum puerilem; sicut superius diximus de usu membrorum.

DISSERTATIO VII.

DE LOCO HOMINIS, QUI EST PARADISUS.

ARTICULUS I.

Utrum Paradisus sit locus corporeus?

Paradisus græcè, latinè Hortus, interdum sumitur pro statu vere beatitudinis, ut Luc. 23. Hodie mecum eris in Paradiso. Interdum sumitur pro horto singulariter ameno, ut Cant. 4. Emissiones tuæ Paradisus malorum quincorum cum pomorum fructibus. De Paradiso, hoc ultimo sensu accepto, questio est, utrum Paradisus, in quo dicuntur collocati primi Parentes, sit locus corporeus? Philo de officio mundi, & Origenes in libris supra Genesim negant, & totam historiam Paradisi, quam narrat Moyses c. 2. Genes. intelligunt allegoricè: undè Hieron. Ep. ad Pammachium, quæ est 71. inter alios errores Origenis hunc reponit, quod sic Paradisum allegorizet, ut historie auferat veritatem, pro arboribus Angelos, pro fluminibus virtutes celestes intelligens, totamque Paradisi continentiam tropologica interpretatione subvertat. Itaque.

Dico: (Q. 102. art. 1. o.) Paradisus, de quo agitur Genes. 2. est locus vere corporeus. Est certa, & communis, tam apud Patres, quam apud Theologos.

Prob. ex principio Aug. communiter recepto: (Ibid.) Scriptura sacra, maxime dum refert historiam, non debet detorqueri ad metaphoras, sed literaliter intelligenda est, nisi ex sententia Theol. Billuani. Pars Prima.

locus sensibilis, non est fons, non ficus, non folia, non comedit Eva, veritas jam fabulata est.

Obj. 1. S. Hieron. in QQ. Hebraicus expendens illa verba: Plantaverat Dominus Paradisum voluptatis ab initio, censet Paradisum, ante coelum, & terram fuisse creatum; atque certum est, nihil corporeum fuisse creatum ante coelum, & terram: ergo. R. Sensum Hieronymi non esse, quod Deus creaverit Paradisum, antequam crearet coelum, & terram quoad substantiam; sed antequam crearet coelum, & terram quantum ad eorum perfectionem, & ornam, quem sex diebus perfecit, & de quo Genes. 2. dicitur: Perfecti sunt caeli, & terra, & omnia ornamta eorum. Hieronymum autem certo tenuisse Paradisum esse corporeum, constat ex ejus verbis contra Originem relatis initio Articuli.

Obj. 2. S. Ambrosius in toto libro de Paradiso ipsam intelligit spiritualiter: nempe ipsum Paradisum, animam justi; ligna fructifera, merita justorum; fontem irrigantem, sapientiam; quatuor flumina inde manantia, quatuor Virtutes cardinales; & sic de ceteris: ergo. Respondent quidam, Ambrosium esse in hoc singularem, & a communi aliorum Patrum Sententia discordem. Respondent alii melius, Ambrosium eundem agnosce-re Paradisum corporeum; sed, ea veritate supposita, totum esse in explicandis mysticis ejus significationibus.

Observandum est enim (Ibid.) ex Aug. 13. de Civit. quod quae commodè dici possunt de intelligendo spiritualiter Paradiso, nemine prohibente, dicantur, dum tamen & illius historiae fidelissima veritas rerum gestarum narratione commendata creditur.

Ambrosium autem in eodem opere agnosce-re Paradisum corporeum, constat 1. quia c. 1. dicit: In hoc ergo Paradiso Deus hominem posuit, quem plasmavit, intellige, quod non cum hominem, qui secundum imaginem Dei est, posuit, sed eum qui secundum corpus; incorporatus enim in loco non est: ergo juxta Ambrosium Paradisus erat locus corporeus, in quo Adam secundum corpus fuit positus.

2. Cap. 3. ejusdem libri dicit: Quatuor flumina Phison, Gehon, Tigris, & Euphratem egredi de Paradiso, Phison esse Gangem, Gehon Nilum, flumina notissima, Tigris autem, & Euphratem sic intercipere Mesopotamiam, ut inde suam denominationem sumat. Censet ergo Ambrosius, Paradisum esse corporeum, ex quo fluunt illa quatuor flumina corporea.

3. Cap. 7. ejusdem libri, quærens unde mors proveniret Adæ, an a Deo, an a natura ligni? Respondet, quod neque a Deo, neque a natura ligni, sed ab ejus inobedientia, quod manducaverit de ligno vetito: ergo juxta Ambrosium erat lignum corporeum scientie boni, & mali in Paradiso plantatum: ergo & ipse Paradisus erat corporeus.

Obj. 3. Sciebat Deus hominem peccaturum, & in Paradiso corporeo non relinquendum: ergo frustra illum produxisset.

R. N. Conseq. (Ibid. art. 2. ad 3.) Sciebat enim pariter Deus hominem peccaturum, & per peccatum amissurum innocentiam, & immortalitatem, neque tamen frustra creavit eum in innocentia, & immortalitate. Creavit ergo Deus Paradisum, et si sciret hominem brevi ex eo expellendum; 1. Quia erat locus status innocentie maxime conveniens, nec Deus punit peccatores antequam peccent; & quamvis sciat peccaturos, non desinit eis benefacere, quod maxime commendat ejus benignitatem. Ut, amisso Paradiso, tam ipse Adam, quam nos cognoscere-mus quanto bono & ipse & nos propter peccatum privati sumus, indeque peccatum majori odio haberemus. 3. Quia probabile est, Henoch, & Eliam etiam nunc in ipso habitare.

Obj. 4. Si Paradisus esset corporeus, creatus fuisset intra sex dies creationis, & maxime tertia die, quando Deus creavit plantas, & arbores; atque Moyses Genes. 2. narrat ejus productionem post sex dies creationis: ergo. R. N. Conseq. Quia Moyses non dicit hoc 2. capite, plantationem Paradisi fuisse factam post sex dies, sed per recapitulationem fuisse explicat, quæ summam dixerat cap. 1. Unde Textus noster habet: Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis ab initio.

ARTICULUS II.

Utrum Paradisus terrestris sit locus particularis, & ubi situs sit?

Dico 1. (Ibid. o.) Paradisus terrestris est aliquis locus particularis, & non tota terra. Prob. 1. Genes. 2. dicitur, quod Deus hominem, extra Paradisum creatum, postea posuerit in Paradiso, & cap. 3. quod post peccatum eum ejecerit de Paradiso, non autem eiecit illum de tota terra: ergo. 2. Expulso Adam e Paradiso, Deus collocavit Cherubim ad Paradisi portam, ut homines ab ejus ingressu arceret: ergo erat aliquis locus particularis, & non tota terra.

Dices 1. Scriptura Genes. 2. narrat, quatuor flumina egredi de Paradiso, Phison nunc Gangem, Gehon nunc Nilum, Tigris, & Euphratem; atque hæc quatuor flumina ex uno, & eodem loco particulari non scaturiunt; Ganges enim habet originem in Monte Caucaso, Nilus in Africa, Tigris, & Euphrates in montibus Armeniæ majoris: ergo. R. ex Aug. 1. 8. de Genes. ad litt. cap. 7. (Hic art. 1. ad 2.) quod hæc quatuor flumina diversas nunc habent origines, inde provenit, non quod ex uno fonte Paradisi ortum non habeant, sed quia in decursu sub terras per civitates fluentia, post longos diversarum regionum tractus, alii in locis eruperint. Neque id gratis dictum, cum in aliis fluminibus id etiam contingere, experientia constet.

Dices 2. Si Adam non peccasset, omnes ejus posterii habitassent in Paradiso terrestri; atque omnes Adæ posterii non potuissent contineri intra angustias alicujus loci particularis, etsi amplum, & extensum supponas, sicut Regnum Hispaniæ, vel Galliæ; ut quidam fingunt: ergo. Quidam negant Min. Quia putant longe minorem futurum fuisse numerum posterorum Adæ innocents, quam Adæ lapsi: quod cum nullo satis firmo fundamento dicatur, R. D. Maj. Si Adam non peccasset, omnes posterii habitassent in Paradiso terrestri strictè dicto, N. Latè sumpto, C. Quamvis ergo tota terra non fuisset iste Paradisus, de quo nunc agitur, fuisset tamen ad instar Paradisi, quatenus, licet non habuisset omnem omnino ornam, quem habebat Paradisus, nulli tamen maledictio fuisset obnoxia, sed ad convenientem, & commodam humani generis habitationem benedicta, & fecundata.

In hac autem Sententiam adducimur 1. quia Deus Genes. 2. dixit primis Parentibus ante peccatum: Crescite, & multiplicamini, & replete terram, per vos scilicet, & per vestros posteris; per terram autem non intelligitur hic parvus angulus terræ, sed universa terra conformiter ad tantam fecunditatem promissam; & quia homines ex concessione Dei ibidem debebant dominari universæ terræ, & omnibus animantibus in ea. 2. Quia Isaie 45. dicitur: Dominus fecit terram, ipsi Plantes ejus, non in vanum creavit eam, ut habitaretur, formavit eam. Si autem homines in statu innocentie non habitassent extra Paradisum, terra sine habitatoribus fuisset vana, & inutilis, inculta, sylvestris, & indecora; assimilareturque Deus Principi, qui amplissimum, & magnificentissimum extruxisset palatium, ut una tantum, & exigua camera habitaretur. 3. Quia; ut dicit argumentum, non est verisimile tot homines, quot promittebantur ex benedictione Dei, potuisse habitare in ambitu unius horti, quamvis illi concedas circuitum duodecim leucarum, ut fingit Abulensis, vel unius Regni Galliæ, aut Hispaniæ, ut conjicit Suarez.

Verum statim se offert difficultas, quomodo homines in universam terram dispersi potuissent edere de ligno vite in solo Paradiso plantato, ad præveniendos senectutis defectus. Idem præceptum de non edendo de ligno scientie boni, & mali, quod non soli Adæ, sed omnibus ejus posteris erat impositum, ut dicam infra, fuisset multis inutile. Insuper S. Th. hic art. 2. docet Paradisum esse locum convenientem habitationi hominum secundum primæ immortalitatis statum: status autem immortalitatis fuisset communis omnibus posteris Adæ, si non peccasset: ergo. R. ad 1. lignum vite fuisse multiplicandum in diversis Regionibus Terræ, vel ex sola virtute supernaturali animæ indita super corpus, de qua antea, provisum fuisset immortalitati hominum. Ad 2. Supposito quod lignum Scientie boni, & mali non fuisset multiplicatum, dicendum est, non esse inconveniens, quod quidam a transgressione præcepti communis per accidens, & defectu occasionis eximantur, præsertim cum potuissent aliunde peccare, & amittere innocentiam, ut diximus prius. Ad 3. jam dixi, quod, quamvis universa terra non omnem Paradisi amentitatem haberet, esset tamen ad instar Paradisi, nulli maledictio subjecta, sed a Deo benedicta, & fecundata, sicut esset etiam locus conveniens homini secundum immortalitatis statum.

Dico 2. Probabilis est, Paradisum Terrestrem esse in Oriente. In qua autem determinata parte Orientis, incertum est. Prob. 1. Pars 1. ubi Vulgata nostra Genes. 1. habet: Plantaverat autem Dominus Deus Paradisum voluptatis ab initio; Hebraice legitur: Plantaverat Deus hortum in Edem ab Oriente; sive, ut vertunt 70. Interpretes, ad Orientem. 2. Non est dubium (Ibid.) quin Paradisus sit constitutus in nobilissimo loco totius terræ; atque Oriens, juxta Philosophum in 2. Cæl. est dextera Cæli, & dextera est nobilior sinistra: ergo conveniens fuit, ut Paradisus terrestris in Oriente constitueretur a Deo. Secunda pars constat ex eo, quod sint variae admodum opiniones de loco determinato Paradisi, nec ulla sit, quæ certo fundamento fundatur.

Dices: Nullis videtur probabile, Paradisum esse in Mesopotamia. 1. Quia, ut dixi, hebraice legitur: Plantavit Deus hortum

in Eden ab Oriente: Eden autem est Regio Mesopotamiæ, sive inter Mesopotamiam, & sinum Persicum. 2. Quia Tigris & Euphrates, quæ sunt flumina Paradisi, fluunt in Mesopotamia: ergo. R. id quidem aliquibus videri probabile, pluribus autem videri minus fundamentum. Unde ad 1. Probationem respondent 1. vocem Eden non esse semper nomen loci, sed aliquando significare voluptatem, & divitias. 2. Est ibi foret nomen loci, non esset idem ac Eden Mesopotamiæ; quia 1. juxta peritos linguæ Hebraicæ Eden Paradisi scribitur cum quinque punctis, Eden vero Mesopotamiæ cum sex. 2. Quia Genes. 4. de Cain dicitur: Habitavit profugus in terra ad Orientalem plagam Eden; quæ est Eden Mesopotamiæ; absurdum autem foret dicere Paradisum datum fuisse Cain pro exilio.

Ad 2. Probat. Magis nocet, quam favet huic Sententiæ. Non enim solum hæc duo flumina Tigris, & Euphrates pertinent ad Paradisum, sed etiam Ganges, olim Phison, & Nilus, olim Gehon, juxta illud Aug. 1. 8. de Genes. ad Litt. cap. 7. Duo-bus eorum nomina vetustas mutavit: Gehon quippe est, qui nunc dicitur Nilus: Phison autem ille dicebatur, quem nunc Gangem appellamus: duo verò ceteri Tigris, & Euphrates, antiqua etiam nomina retinuerunt. Idem sentiunt Hieron. in QQ. hebraicis. Epiph. Ep. ad Joann. Jerosol. Ambros. libr. de Paradiso cap. 3. & ante ipsos Josephus 1. 1. Antiq. cap. 2. idque fundatur in Scriptura Jerem. 2. ubi, quod legitur secundum Vulgatam: Quid tibi vis in via Ægypti, ut bibas aquam turbidam? indubie Nil, 70. vertunt: Quid tibi vis Ægypti, ut bibas aquam Gehon? Porro Ganges & Nilus valde procul a Mesopotamia fluunt. Tigris & Euphrates quamvis intra Mesopotamiam fluant, non tamen inde habent originem, sed in montibus Armeniæ. Unde patet, ex his fluminibus potius evinci Paradisum terrestrem non esse in Mesopotamia. Adde, quod, etsi Tigris & Euphrates scaturirent in Mesopotamia, incertum esset, an forent primæ eorum origines, an non post varios sub terra circuitus, novæ eruptiones, ut dixi prius.

ARTICULUS III.

Utrum etiam nunc existat Paradisus terrestris?

Non amplius existere, censent quidam recentiores, Eugubinus, Ekius, Jansenius Gandensis, Maldonatus, Pederius, & quidam alii. Contra quos

Dico: Probabilis est, etiam nunc existere Paradisum terrestrem. Prob. 1. Quia sic communiter tenent SS. Patres, Basilus in Hexam. Justinus in QQ. ad Orthod. q. 85. Irenæus 1. 5. contr. Her. cap. 5. Athanasius in Ep. de decretis Synodi Nicænæ, Theodoretus q. 29. in Genes. Hieron. Ep. 29. cap. 10. Aug. 1. de Peccato Orig. cap. 23. 1. de Peccat. meritis cap. 3. 1. 8. de Genes. cap. 7. S. Th. hic art. 1. ad 3. art. 2. ad 3. & 3. p. q. 49. art. 5. ad 2. Hos secuti sunt Scholastici, Abulensis, Cajetanus, Sixtus Senen. Malvenda, Bannes, Comel, Bellarminus, & alii. Imò Aug. loco cit. de peccato Orig. docet existentiam Paradisi terrestris pertinere ad fidem Christianam; cum enim dixisset, posse salva fide disputari, qualis, vel ubi sit Paradisus, subiungit: Cum tamen esse illum Paradisum fides Christiana non dubitet.

Neque dicas, Aug. his verbis non significare Paradisum nunc existere, sed non esse rem fictam, aut paraboliceam: quia questiones, quas dicit salva fide posse disputari, ut qualis sit, & ubi sit Paradisus? supponunt Paradisum etiam nunc extare in rerum natura: alioquin prius quærendum foret, an de facto Paradisus existat? Deinde, qualis sit, & ubi sit. 2. Quia nulla sufficienti ratione aut auctoritate evincitur, Paradisum non amplius existere, ut patet ex Sol. Obj. 3. Secundum sensum communem fidelium Henoch, & Elias translati sunt in aliquem locum æternam a consortio hominum segregatum, in quo tranquillam vitam agunt, donec occurrant Antichristo; atque non potest illis assignari locus æternior & congruentior, quam Paradisus terrestris, præsertim cum Vulgata Eccl. 44. habeat: Henoch placuit Deo, translatus est in Paradisum, ut dei Genibus pariteriam. Neque dicas, hanc vocem Paradisus esse equivocam, & significare quandoque Paradisum terrestrem, quandoque quemlibet locum æternum: advertunt enim Interpretes, quod hæc vox Paradisus, quando in Scriptura non significat Paradisum terrestrem, sed quemlibet locum æternum, ponatur semper cum adjunctis, quæ illum a significatione Paradisi terrestris detorqueant, ut cum Cantic. 4. dicitur: Emissiones tue Paradisus malorum punitorum cum pomorum fructibus. Quando vero solitarie ponitur, ut hic, significat Paradisum terrestrem, aut celestem, cujus terrestris est figura.

Obj. 1. Paradisus terrestris aquis diluvii obrutus perit: ergo. R. 1. Quod, sicut Henoch fuit ab aquis diluvii miraculose preservatus, sive in aërem sublatus, sive in terra ab aquis jactatus, sive alio modo soli Deo cognito, ita Paradisus prop-

ter ipsum aquis diluvii non fuit obrutus. R. 2. Esto, Paradisum terrestrem fuisse aquis diluvii coopertum, suaque pulchritudine spoliatum, non sequitur esse omnino destructum. Potuit enim, sicut alia Terræ loca, paulatim postea sumi virorem, & decorem, saltem magna ex parte recuperasse, præsertim cum nec omnes arbores diluvio perierint, nec omnia eorum viror; constat enim Genes. 8. columbam reportasse in Arcam ramum olivæ florentibus foliis.

Iust. contra 1. Solutionem. Juxta Scripturam Genes. 7. aquæ diluvii operuerunt omnem terram: ergo. R. Scripturam ibidem pariter dicere, quod universi homines mortui sint in aquis diluvii, & quod remansit solus Noë, & qui cum eo erant in Arca; & tamen Henoch non est mortuus. Sicut ergo Scriptura intelligenda est de universis hominibus, moralum vitam communi modo agentibus, ita intelligenda est de omni terra quæ erat ab hominibus peccatoribus habitabilis & data, ut communi peccatorum usui serviret.

Repones: Si Paradisus terrestris fuit ab aquis diluvii preservatus, frustra Noë fabricasset Arcam, potuisset enim commodè cum sua familia conservari in Paradiso: ergo. R. N. Sequelam. Ad ejus probationem, D. Noë potuisset commodè & convenienter cum sua familia conservari in Paradiso, N. Potuisset commode, sed inconvenienter, C. Erat enim destinatus a Deo Paradisus hominibus innocentibus, ab omni æruma, & miseria immunibus. Unde non erat conveniens, ut Noë & ejus filii ærumnis, & miseris hujus vitæ obnoxii, in eo habitarent. Quæ tamen ratio non militat de Henoch; qui, cum sit a miseris hujus vitæ exemptus, convenienter in eo habitavit.

Obj. 2. Planta & arbores Paradisi terrestris ex natura sua erant corruptibiles, ita ut etiam Adamo non peccante non semper eadem numero durassent: unde Genes. 2. dicitur: Tilit Dominus Deus hominem, et posuit eum in Paradiso voluptatis, ut operaretur, et custodiret illum; id est, ut sine molestia sereret, plantaret, putaret, sicut illum Paradisum in sua amentitate sibi custodiret; atque, ab ejus peccato, nullus hominum ipsum excoluit, & novas plantas, aut arbores inseruit: ergo. Rego. Esto primævam & perfectissimam Paradisi venustatem non amplius subsistere, ea tamen adhuc subsistit, quæ locum æternum & nomine Paradisi voluptatis dignum reddat; senescentibus enim plantis & arboribus, novæ succrescunt ex priorum seminibus in terram cadentibus, æque virescunt, florent, & fructus producant, favente præsertim optima cœli temperie.

Obj. 3. Nullus hominum huc usque inventi Paradisum, quamvis omnibus viatoribus pervii sint loci Orientis, in quo juxta Scripturam fuit plantatus: ergo. Respondet S. Th. hic art. 1. ad 3. locum illum seclusum esse a nostra habitatione aliquibus impedimentis vel montium, vel marium, vel alicujus ætuosæ Regionis, quæ pertransiri non possunt; vel dici specialiter Dei providentia efficit, ut homines in hunc locum non incurrant.

ARTICULUS IV.

De ligno Scientie boni, et mali.

De ligno vitæ dixi Dissert. V. art. 3. §. 2. Restat dicendum de ligno scientie boni, & mali per quæstionculas. Unde petes 1. Utrum lignum scientie boni, & mali sit vera, & realis arbor? R. affirmativè. (Ibid. art. 1. ad 4.) Colligitur ex illo Genes. 2. Produxitque Deus de humo omne lignum pulchrum visu & ad vescendum suave, lignum vitæ in medio Paradisi, et lignum scientie boni, et mali. Sicut ergo cetera ligna, & etiam lignum vitæ, erant veræ & reales arbores, ita & lignum scientie boni, & mali.

Petes 2. Quæ speciatim arbor fuit? R. id esse incertum. Quidam dicunt fuisse Ficum; quia primi Parentes post peccatum fecerint sibi perizomata ex foliis ficis. Verum hæc ratio magis nocet, quam prosit; scientes enim primi Parentes quantum malum ex esu arboris scientie boni, & mali incurrerant, illam debebant potius odisse, quam ad eam iterum confugere. Adde, quod Genes. 3. dicatur fructum scientie boni, & mali fuisse pulchrum visu & ad vescendum delectabilem; quod magis aliis fructibus quam ficui convenit. Alii conjiciunt esse Malum ex illo Cant. 8. sub arbore malo suscitavit te, ibi corrupta est mater tua, ibi violata est genitrix tua, quod intelligunt de Eva: & canit Ecclesia: Quomodo pomi uxialis morsu in mortem corruit.

Petes 3. Unde hæc arbor dicta est scientie boni, & mali? R. cum Aug. 1. 14. de Civit. cap. 17. & auctore (Ibid.) hic dictam fuisse scientie boni, & mali ab eventu, quatenus primi Parentes per ejus esum experimentaliter noverunt quantum bonum amiserant, & quantum malum incurrerant.

Petes 4. Quomodo primi Parentes consueverunt sibi folia ficis ad propriam nuditatem tegendam? carebant enim instrumentis ad id necessariis. R. usos fuisse pro filo herbis longioribus & solidioribus; acui autem non indigebant pro perforandis filiis ficis. Pe-

Petes 5. Quos obligabat præceptum de non comedendo fructu Ligni Scientiæ boni, & mali? R. quamvis hoc præceptum soli Adæ fuerit immediatè intimatum, ut patet ex verbis Dei præcipientis Adæ in singulari: *de Ligno autem Scientiæ boni, & mali ne comedas*, Genes. 2. attamen per ipsum erat Evæ indicandum, eamque obligabat, & non eam tantum, sed omnes Adæ posteros, si status innocentie perseverasset. Prob. de Eva. 1. ex ejus verbis ad Serpentem Genes. 3. *Præcepti nobis Deus ne comedemus*, &c. 2. Ex poenis, quas incurrit post esum hujus Ligni, perdidit namque gratiam sanctificantem, consequenter statum innocentie, & omnia dona illi annexa, & facta est obnoxia doloribus, ærumnis, & morti, non secus ac ipse Adam. Par autem poena supponit par peccatum.

Prob. de Posteris Adæ. 1. Hoc ipso quod hoc præceptum, licet soli Adæ immediatè intimatum, obligabat etiam Evam, signum est quod non erat personale, sed totam naturam ab Adamo propagandam spectabat. 2. Quia Deus Genes. 2. dicit Adæ: *Ex omni ligno Paradisi comede, de ligno autem Scientiæ boni, & mali ne comedas*; atqui 1. pars hujus propositionis, si ve fuerit præceptum, ut quidam volunt, sive tantum permissio, ut probabilis est, spectabat omnes Adæ posteros: ergo & secunda. 3. Protestatio divini subjectionis & obedientie, ad quam erat impositum hoc præceptum, debebat esse perpetua, nec minus conveniebat filiis, quam Parentibus: ergo.

Petes 6. utrum istud præceptum obligaret sub peccato mortali? videtur quod non, quia erat materia levis. R. affirmative. 1. Quia propter ejus transgressionem Adam & Eva amiserunt vitam animæ & corporis: ex gravitate autem poenæ colligitur gravitas obligationis præcepti. 2. Quia, licet materia videatur secundum se levis, attentio tamen sine præcepti erat gravi: impositum enim erat, ut homo per ejus observantiam protestaretur Deo suam subjectionem, obedientiam, & gratitudinem pro tot, ac tantis beneficiis acceptis.

ARTICULUS V.

A quo tentata fuit Eva, ut mandicaret de ligno vetito?

Scriptura Genes. 3. narrat, Evam fuisse tentatam a Serpente. Ophite teste Irene 1. 1. de Hæres. cap. 34. Tertull. 1. de Præscrip. cap. 47. Epiphani. Hæresi 17. & alii, dixerunt Serpentem hunc fuisse Dei Sapientiam, quibus postea adherentes Manichæi dicebant esse Christum, quorum insanum errorem confutavit Aug. hæresi 17. & Epiphani. hæresi 47. Cajetanus in c. 3. Genes. docuit, Diabolum tentasse Evam per solam suggestionem interiorem, sicut nos nunc tentare solet, metaphorice intelligens que dicuntur de Serpente. Contra quos

Dico: (2. 2. q. 143. art. 2. ad 2. & 3.) Eva tentata fuit a Diabolo per Serpentem verum & naturalem, quo Diabolus usus est ut instrumento ad formandas voces humanis similes. Prob. 1. pars ex illo Sap. 2. *Invidia Diaboli mors introivit in mundum*; & ex illo Joann. 8. *Diabolus fuit homicida ab initio*. 2. Quia illa tentatio, in qua colloquebantur ad invicem Eva & Serpens, non potuit esse nisi a creatura intellectuali; creature autem intellectuales non sunt nisi Angelus & homo; atqui non potuit esse illa tentatio ab homine, quia præter Adam nullus alius adhuc erat; & etiam si fuisset, non potuisset formare voces per Serpentem; non ab Angelo bono, qui tanti mali non fuit auctor: ergo ab Angelo malo, seu Diabolo.

Prob. 2. pars 1. Genes. 3. dicitur: *sed & serpens erat calidior omnibus animalibus terre, quæ fecerat Dominus Deus, qui dixit ad mulierem*, &c. Et infra: *Et ait Dominus Deus ad Serpentem: quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animalia & bestias terre: Super pectus tuum gradieris, & terram comedes omnibus diebus vite tue*. In primis fit in his locis comparatio inter Serpentem, & cætera animalia terre; atqui inepta foret comparatio, si per Serpentem intelligatur Diabolus, aut fictus Serpens, & non verus & naturalis Serpens, qui sit animal terre. Item, cum dicitur: *Maledictus es inter omnia animalia & bestias terre*, aperte significatur ipsum esse de numero animalium & bestiarum terre. Denique, quæ adduntur, *super pectus tuum gradieris, & terram comedes*, &c. non nisi vero & naturali Serpenti conveniunt.

2. Narratio historica Scripturæ non debet, ut jam diximus, transferri ad metaphoras, nisi aliunde constet aperte ea, quæ narrantur, fuisse dicta metaphorice, quod hic non currit.

Obj. 1. Congruentius Diabolus tentasset Evam per suggestionem interiorem, sicut nos tentare solet, quam per aliquid

sensibile: ergo. R. (Ibid.) Id tamen non potuisse diabolum, quia minimum potestatis habebat in hominem in statu innocentie, sicut non poterat in ejus phantasiam immediatè agere ut eam mutaret, sed exterius tantum mediante aliqua re sensibili.

Obj. 2. Serpens naturalis non est callidior omnibus aliis animalibus: ergo non potest intelligi de vero serpente, sed de Diabolo.

R. Serpentem hic dici posse callidior omnibus animalibus 1. Propter diabolum, qui eo utebatur: sicut dicimus *linguam dolosam*, non quod ei insit dolus, sed quia eam movet mens dolosa. 2. Quia revera callidissimus est serpens tunc ad insidiosè nocendum, tunc ad se incolumem servandum: unde dicit Christus: *Estote prudentes, sicut serpentes*: & ideo diabolus, permitte Deo, hunc elegit, ut instrumentum suæ calliditatis congruum.

Obj. 3. Diabolus sine corpore assumpto vocatur in Scriptura *Draco, Serpens*, ut Apostol. 12. & Isai. 27. ergo, quod hic dicitur *Serpens*, non sequitur, quod fuerit verus & naturalis Serpens.

R. N. Conseq. Quia hic ex adjunctis *Serpens* determinatur ad significationem veri, & naturalis Serpentis, ut patet ex probatione. Insuper, quod aliqua vox metaphorice intelligatur in aliquo loco Scripturæ, non sequitur, quod in omnibus sic debeat intelligi, præsertim ubi agitur de narratione historica, quando nihil cogit eam ad metaphoricum sensum transferre, ut diximus prius.

Obj. 4. Si verus Serpens Evam allocutus fuisset, Eva exhorruisset, & turbata statim fugisset: ergo.

R. N. Sequelam; quia, ut jam antea observavimus, omnia animalia erant tunc homini subjecta, nec ei poterat nocere: quod verò loqueretur Serpens existimavit Eva, id fieri ab aliquo spiritu, non reflectens an a bono, vel malo. Vel ut alii dicunt, putavit Eva, non assentiendo, sed cogitando secum, nunc Serpens haberet aliquam vim loquendi? Conditio enim mulieris non exigebat tam perfectam cognitionem rerum naturalium, sicut exigebat conditio viri.

Inst. Non potuit loqui Serpens absque miraculo, cujus tamen nullam mentionem fecit Moyses: ergo.

R. N. Ant. Potuit enim Diabolus absque miraculo formare per Serpentem ex aère voces humanis similes, sicut fecit Angelus per asinam Balaam, Num. 22.

Obj. 5. Angeli, sive boni, sive mali, quando apparent & loquuntur hominibus, non solent assumere vera & naturalia corpora sive hominum, sive aliorum animalium, sed simulacra tantum, quæ sibi formant ex aère, vel aliis corporibus: ergo verisimile est, sic contigisse in tentatione Eva; consequenter non fuisset saltim verum, & naturalem Serpentem, sed tantum simulacrum Serpentis.

R. N. Conseq. Esto id non solere Angelos, non sequitur id eos non posse. Posse autem & fecisse assumendo verum Serpentem, constat ex narratione historica Genes. 3. sicut constat ex Num. 22. Angelum bonum per verum & naturalem asinam Balaam voces eformasse, sicut eam ad hunc effectum assumpsisse.

Obj. 6. Maledictio lata in Serpente Genes. 3. non convenit vero, & naturali Serpenti, ut quod *super pectus suum gradietur, & quod terram comedet*; id enim est ipsi naturale, & ante maledictionem id ipsi conveniebat: ergo. R. Maledictionem, latam in Serpente, sensu naturali verum & naturalem Serpentem afficere, sic, ut quæ ipsi erant naturalia, eò quod fuerit instrumentum diaboli, facta sint illi infamia & probrosa; sensu autem mystico, quem Spiritus sanctus hic videtur intendere præcipue, afficit demonem, ut ex Aug. explicat S. Th. loco prius cit. ad 4.

Petes, quare Deus permisit tentari primos Parentes, quos præciebat peccatores? R. Aug. 1. 11. de Genes. ad litt. cap. 4. sic respondet: *Si ergo quaeritur, cur Deus permisit tentari hominem, quem tentationi consensus esse præciebat? Altitudinem quidem consilii ejus penetrare non possum, & longè supra vires meas esse confiteor*. Nihilominus alibi varias hujus permissionis rationes offert. Prima est, ut manifestaret sua attributa, nimirum omnipotentiam, quæ tanta est, ut de malo eliceret bonum & justitiam, puniendo, & misericordiam, parcendo. Secunda; quia ad ejus providentiam generalem pertinet unumquodque in sua natura relinquere, sicut sine re homines libero arbitrio præditos pro sua libertate resistere, vel cedere tentatori; & hinc Tertia; ut manifestaret homini infirmitatem suam, ostenderetque quid liberum arbitrium ex se posset, licet gratia sit instructum.

DISSERTATIO VIII.

DE PECCATO PRIMORUM PARENTUM, ET EJUS PŒNA.

D. Thom. 2. 2. Q. 163. & 164.

ARTICULUS I.

Quodam fuerit primum peccatum primorum Parentum?

Dico 1. (2. 2. q. 163. art. 1. o.) Primum peccatum primum Parentum fuit superbia. Prob. (Ibid. in arg. s. c.) 1. ex Scriptura. Eccli. 10. dicitur: *Initium superbiæ hominis*. hoc est, primum superbiæ hominis actus, apostatate a Deo: quoniam ab eo, qui fecit illum, recessit cor ejus. Quoniam initium omnis peccati est superbia; ubi manifestum est, sermonem esse de primo peccato hominis, & non Angeli. Item Tob. 4. Tobias morti proximus filium suum his verbis hortatur: *Superbiam ne inquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas; in ipsa enim initium sumpsit omnis perditio*, scilicet, ut patet, inter homines.

Prob. 2. ex Patribus. Aug. 1. 11. de Genes. ad Litt. cap. 5. *Neque arbitrarium est*, inquit, quod esset hominem dejecturus iste tentator, nisi præcessisset in anima hominis quedam elatio comprimens. Et 1. 14. de Civit. cap. 13. *In occulto mali esse cæperunt, ut in apertam inobedientiam laborarent: non enim ad malum opus pervenerunt, nisi mala voluntas præcessisset*. Porro male voluntas initium quid potuit esse, nisi superbia? *initium enim omnis peccati superbia*.

S. Ambros. serm. 14. in Ps. 118. *Superbia hominem primò deiecit*. S. Prosper 1. 2. de vita contemplat. cap. 19. de primis Parentibus dicit, *Non desererent Deum, nisi superberent, et similitudinem Dei miserabiliter appetissent*. S. Leo serm. 5. de Nativit. vocat vulnera superbiæ, quæ inflata fuerunt generi humano ex parte Adæ. S. Greg. 1. 14. Moral. cap. 17. postquam retulit illud Eccli. *Omnis peccati initium superbia*; subiungit: *per hanc enim ipse (Diabolus) succubuit, per hanc sequentem hominem stravit*.

Prob. 3. ratione. (Ibid. o.) Primi Parentes non poterunt peccare ex affectu alienius objecti sensibilis, in quod concupiscentia immediatè ferretur; cum tunc appetitus inferior esset perfectè subjectus rationi, & ratio Deo, appetitus inferior non poterat deordinari, nisi superior prius deficeret a Deo: ergo primò peccaverunt primi Parentes ex appetitu boni spiritualis ultra mensuram sibi competentem, qui est nimis amor propriæ excellentiæ, ideoque superbia.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Eva, antequam superberet, peccavit colloquendo cum Serpente, debebat enim statim fugere. Item peccavit, dum mendaciter dixit Deum prohibuisse, ne tangerent fructum ligni vetiti; non enim tactum, sed esum duntaxat Deus prohibuerat. Item, dum dubitavit de peccati mortis a Deo absolute statuta dicendo, *ne forte moriamur*; atqui hæc contigerunt, antequam ex verbis Serpentis superbere posset; nondum enim tunc Serpens dixerat: *Erritis sicut Dii, scientes bonum et malum*; ex quibus verbis in superbiâ elata est.

R. ad 1. Evam non peccasse colloquendo cum Serpente, quando enim quis prudens & fortis colloquitur cum insidiatore, non ideo peccat, quod loquatur; sed quod non se gerat ut virum prudentem, & fortem, seque sinat vinci. Et esto consultus fuisset Evæ abrupte statim colloquium & fugere, non sequitur quod peccaverit loquendo; non enim hoc ipso, quo aliquid est consultus, sequitur, quod sit absolute necessarium ex præcepto. Ad 2. Non est mentia Eva dicendo Deum prohibuisse tactum hujus fructus; intelligebat enim de tactu in ordine ad manducationem, qui erat verè prohibitus. Insuper non desunt, qui existimant etiam Deum prohibuisse tactum simpliciter, ut longius abesset periculum comedendi. Ad 3. Eva non dubitavit de veracitate Dei, sed potuit absque invidiositate peccato dubitare, an poena mortis esset absolute a Deo statuta & infallibiliter infligenda, an tantum esset comminatio remissibilis. Adde, quod hoc vocabulum *forte* non sit semper dubitans, sed sæpe assentis, idem valens ac *certe* & *indubie*; ut Marth. ubi de Sodomitis, si apud eos facta fuissent signa, quæ facta sunt in Capharnaüm, dicitur: *forte*, id est, certo, mansissent usque in hunc diem. Item Joann. 4. 4. de muliere Samaritana: *Si scires domum Dei, & quis est, qui dicit tibi, da mihi bibere, forsitan, id est, indubie, petiisses ab eo*. Etiam quandoque ponitur *forte* respectu

ve ad effectum secundum se contingentem, licet sit aliunde certò eventurus.

Obj. 2. Primi Parentes non appetierunt similitudinem Dei, nisi quia crederent vera esse, quæ Serpens dixit: *Non moriemini, sed eritis sicut Dii scientes bonum, & malum*; atqui hic est error contra fidem: ergo primum peccatum primorum Parentum est infidelitas. Prob. Min. 1. Non poterant credere esse verum, quæ dixit Serpens: *Non moriemini, nisi crederent esse falsa*, quæ dixerat Deus: *morte morieris*; & hic est error contra fidem. 2. Non poterant sine errore in fide credere, similitudinem Dei esse possibilem: ergo. R. N. Min. Ad probat. D. Ant. pro utraque parte. Quoad 1. jam dixi, quod ex verbis Serpentis, non moriemini, primi Parentes non crederent Deum fuisse mentiturum, sed crederent aut dubitarent, num esset poena absolute & irremissibiliter statuta, an tantum comminatio remissibilis, præsertim Adam, qui videbat Evam adhuc viventem post esum fructus vetiti; & hic error non est contra fidem. Ad 2. partem: ex verbis seq. *eritis sicut Dii*, &c. non crederent similitudinem Dei ad æqualitatem esse possibilem, quod esset contra fidem; sed tantum similitudinem sceundum quamdam imitationem seu participationem in scientia, quod non est impossibile, nec ideo contra fidem.

Inst. Aug. 1. 11. supra Genes. cap. 4. in illud 1. Tim. 2. *Mulier seducta in prævaricatione fuit*, dicit: *Hanc proprie seductionem appellavit Apostolus, per quam id quod suadebatur, cum falsum esset, verum esse putatum est, scilicet, quod Deus ideo lignum illud tangere prohibuerit, quod sciebat eos, si tetigissent, velut Deos futuros; tanquam eis divinitatem invideret, qui eos homines fecerat*; atqui hoc credere pertinet ad infidelitatem: ergo. R. ex eodem Aug. 1. 11. de Genes. ad litt. cap. 30. (Etic 2. 2. 163. a. q. 3. ad 4.) quod verbis *Serpentis mulier non crederet a bona a que vitare divinitus se fuisse prohibitos, nisi jam inesset menti amor ille proprie potestatis, & quædam de se superbia præsumptio*: Quod non est sic intelligendum, quasi superbia præcesserit suasionem activam Serpentis, sed quia statim post illam invasit mentem Evæ elatio, ex qua consecutum est, ut primò verborum Serpentis: *Quare vobis prohibuit Deus, &c.* crederet verum esse; quod Dæmon dicebat, scilicet Deum ex invidia prohibuisse esum ligni scientiæ boni & mali.

Repones: Fides est initium justitiæ: ergo infidelitas est initium injustitiæ. R. N. Conseq. Quia, quod est primum in adificatione, est ultimum in destructione.

Obj. 3. Primum peccatum Adæ fuit inordinatus amor uxoris, quò magis illi placere cupivit, quam mandatum Dei servare: ergo. Prob. Ant. Cum Deus Adamum argueret, respondit: *Mulier, quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi*; quasi diceret: amore sociæ, quam dedisti mihi, illectus comedi. Quam responsonem esse veram Deus videtur significare respondendo, *quia audisti vocem uxoris tue, & comedisti*, &c. ergo. R. N. Ant. Ad prob. N. Conseq. Equidem Adam habuit inordinatum amorem erga uxorem, & iste amor præcessit transgressionem exteriorem præcepti, & hoc probant; quæ afferuntur in argumento; at non probant, hunc amorem præcessisse superbiâ interiorem, quæ ex verbis Serpentis per Evam relatis, appetit excellentiam supra mensuram sibi competentem. Unde Aug. 1. 14. de Civit. cap. 13. dicit: *Si voluntas in amore superioris immutabilis boni, a quo illustratur, non videtur, & accendebatur ut amaret, stabilis permaneret, non inde ad sibi placendum reverteretur, & ex hoc inebriesceret & frigesceret, ut vel illa verum crederet dixisse Serpentem, vel ille Dei mandato uxoris præponeret voluntatem*.

Inst. Aug. 1. 11. de Genes. ad litt. cap. 4. dicit, quod Adam, quando uxor consensit ad edendum fructum, nondum senserat concupiscentiam: ergo nondum peccaverat. R. N. Conseq. Quia non dicit Aug. quod nondum habebat concupiscentiam, sed quod nondum senserat: quamvis autem non sentiebat, habebat tamen interiùs, quando exterius peccavit: sicut Eva non illam sensit, nisi postquam fructum Adæ porrexit, licet antè interiùs haberet.

Obj. 4. Primum peccatum Adæ non fuit ex amore sui: ergo non fuit superbia. Prob. Ant. ex discrimine inter Angelum & hominem. Angelus utpotè totus spiritualis primò se intelligit, ideoque potuit primò peccare per superbiâ ex amore sui. Sed